

quæ ex modo producendi arguit infinitam virtutem in causa, eo quod nullum præsupponitur subjectum; ergo ex nullo capite repugnat Christum esse causam principalem nostræ gratiæ.

LV. Confirmatur, quia quamvis sit proprium Dei futura contingentia cognoscere, et cogitationes cordium, id tamen ratione excellentiæ animæ Christi communicatur illi ut causæ principali talium rerum cognitio; ergo quamvis sit proprium Dei causare gratiam tamquam causa principalis, communicari poterit Christo Domino tamquam causæ Deo inferiori, principali tamen.

LVI. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quod esse humanitatem Christi causam physicam principalem gratiæ repugnat ex utraque parte; primo quidem, ex parte effectus producti, videlicet gratiæ, quia quamvis gratia nostra finita sit, est tamen ordinis infiniti, ut elevat hominem ad illum ordinem, et ad hoc requiritur virtus infinita ex parte causæ agentis, qualis etiam requiritur ad constituendos ordines rerum ut patet ex D. Thoma quæstione xxvii de veritate, articulo iii. Repugnat etiam ex parte modi producendi ipsam gratiam, quia ut dictum est, causa principalis physica ipsius gratiæ debet habere divinam naturam per essentiam, et consequenter debet habere infinitatem simpliciter, et non subjici alteri; quod autem producat in subjecto existente, non tollit quin in causa principali physica ipsius gratiæ requiratur virtus infinita, non ratione creationis (supponimus enim pro tunc gratiam non creari proprie) sed ex eo quod est participatio ipsius divini esse in se ipso, quam solus Deus per essentiam causare potest tamquam principale agens physicum.

LVII. Ad confirmationem respon-

detur negando consequentiam. Et ad probationem dicimus esse magnum discrimen inter utrumque, nam ad causandam principaliter gratiam in genere physico requiritur virtus simpliciter infinita ut vidimus: ad cognoscendum autem cogitationes cordium, et alias res supernaturales non requiritur virtus infinita simpliciter, sed per lumen finitum, et limitatum hoc fieri potest, et communicatum fuit animæ Christi, ut late diximus agentes de scientia infusa ejus.

LVIII. Ultimo arguitur: Christus est causa principalis moralis nostræ gratiæ ratione unionis hypostaticæ; ergo ratione ejusdem erit causa physica principalis ipsius gratiæ. Antecedens probatur, quia Christus est causa meritoria de condigno gratiæ nostræ; ergo est causa principalis moralis ejus. Consequentia vero probatur, quia ad causalitatem illam moralem non requiritur minor perfectio, quam ad causalitatem physicam.

LIX. Confirmatur, quia gratia Christi non habet rationem instrumenti respectu gratiæ nostræ; ergo habet rationem causæ principalis. Consequentia est bona, et antecedens probatur, quia non potest dari aliqua operatio prævia in gratia Christi circa nostram, quæ dispositive se habeat in ordine ad actionem divinam, quod est de necessitate instrumenti; ergo non poterit esse causa instrumentalis.

LX. Respondetur negando consequentiam. Et ad probationem dico, quod ad hoc ut humanitas Christi sit causa principalis moralis per meritum, et satisfactionem gratiæ nostræ, et donorum supernaturalium, sufficit habere meritum capitatis, quod est infinitum moraliter, et hoc reperitur in actibus Christi, ex eo quod humanitas ejus unita erat personaliter Verbo divino, ut late di-

## ARTICULUS V.

*Utrum anima Christi secundum propriam virtutem habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis?*

I. Pro intelligentia tituli notandum est, quod non est in potestate animæ facere, quod potentiæ inferiores ordinatæ ad bonum naturale suos actus non exerceant, verbi gratia, quod virtus nutritiva non augeat aut sustentet subjectum, et quando D. Thomas hoc denegat animæ Christi, loquitur de illa secundum propriam virtutem, quatenus anima humana est secundum rationem animæ humanæ; non autem de virtute animæ Christi, quæ illi convenit ratione alicujus status; bene enim potest esse, quod ratione status beatifici aliquid possit anima, quod secundum suam naturam non posset, et in hoc sensu clare patet, quam vera sit conclusio D. Thomæ, quæ est hujusmodi.

II. Conclusio: Anima Christi per solam suam virtutem naturalem non habuit potentiam ad immutandum proprium corpus extra cursum communem naturæ. Hæc est expressa D. Thomæ in articulo tertio hujus quæstionis xiii, et ab illo præcipue intenta, et quæ directe respondet quæsitio, satisque probata est ratione brevissima D. Thomæ in corpore articuli.

III. Pars affirmativa probatur primo, quia ut supra diximus cum D. Thoma quæst. xi, art. ii, anima Christi poterat intelligere sine conversione ad phantasmata, et reddit rationem, quia totaliter dominabatur ejus anima corpori; ergo eadem ratione dici potest, quod corpus ipsam subdebatur animæ ut immutaret illud, alias non totaliter dominaretur ei.

ximus quæstione prima, articulo secundo. Ad hoc autem quod humanitas Christi esset causa physica principalis gratiæ nostræ, requirebatur ut esset Deus per essentiam habens virtutem simpliciter infinitam in genere physico, quod implicat. Quare advertenda est differentia inter utramque causam, quod causa moralis ut sic non est, quæ physice producit effectum, sed quæ precibus, vel imperio, vel alia via movet causam physicam ad operandum. Causa autem principalis physica est, quæ in se habet virtutem propriam ad producendum talem effectum: at humanitas Christi Domini postulat a Deo fieri nostram justificationem, quare in genere moris est causa principalis, in genere vero physico non est causa principalis, sed tantum instrumentalis, quæ solum operatur ut mota a Deo.

LXI. Ad confirmationem respondetur suppositis his, quæ jam diximus articulo præcedenti de operatione prævio instrumenti, quod gratia Christi est instrumentum gratiæ nostræ physicum, eo quod determinat effectum virtutis Dei, ut potius ab illa virtute producat gratia, quam quilibet alius effectus, et præintelligitur in genere causæ materialis concursus ipsius Dei. De quo videatur D. Thomas infra quæst. lvi, articulo primo ad secundum, et quæst. lvi, art. i ad tertium. Causat etiam humanitas Christi in nobis omnes dispositiones prævias necessarias ad infusionem gratiæ, ut dicemus quæstione xix.

LXII. Cognita jam potentia animæ Christi circa immutationes aliarum rerum, restat ut de potentia ejusdem agatur in ordine ad proprium corpus. Unde subditur

IV. Secundo arguitur: Quia Christus sua voluntate fundebat lacrymas, et turbabat seipsum, ut patuit in suscitatione Lazari; alii vero homines non turbantur a se ipsis, sed ab externis; ergo habebat anima Christi potestatem omnem supra suum corpus.

V. Confirmatur, quia animæ Christi non est deneganda potestas illa circa proprium corpus, quam habent animæ beatæ circa sua corpora, cum beatitudo animæ Christi sit multo perfectior omnibus aliis; sed aliæ animæ beatæ habent potestatem supra sua corpora reddendo illa agibilia, et impassibilia; ergo a fortiori anima Christi hanc potestatem habebit.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VI. Ad primum argumentum respondetur, quod anima Christi, quia erat anima comprehensoris præcipue secundum partem intellectivam, ideo poterat intelligere sine conversione ad phantasmata, et in hoc habebat dominium supra corpus, eo quod necessario non dependebat ab illo; non tamen habebat dominium, seu potestatem connaturalem ad immutandum illud secundum quamcumque corporis dispositionem.

VII. Ad secundum argumentum respondetur primo, quod anima Christi intra limites potestatis naturalis sine dubio habuit omnem illam potestatem supra suum corpus, quam habent aliæ animæ circa sua corpora, imo multo excellentius quam illæ, ex eo quod omnes passionibus ejus erant taliter proportionatæ, et rationi subditæ, quod ab illa deviare non poterant, et ideo Christus imperabat omnibus passionibus, et membris exterioribus, ut facerent suos actus quando, et quomodo volebat, atque adeo multa faciebat quæ

nos non possumus sine magna difficultate. Ipse vero propriamurbationem eligebat, lacrymas, et timorem, tempore quo suæ naturæ humanæ veritatem ostendere congruum judicabat.

VIII. Secundo, respondetur juxta solutionem ad primum D. Thomæ, quod multa operabatur Christus ex voluntate divina, in quibus operationibus anima Christi non se habebat ut principalis causa, sed ut instrumentum divinitatis.

IX. Ad confirmationem respondetur, quod animæ beatorum habentes corpora gloriosa possunt immutare illa supra suam naturalem dispositionem. At vero corpus Christi non erat gloriosum ante resurrectionem, et ideo anima non habebat virtutem ad illud immutandum; quare anima Christi quamdiu corpus passibile habuit non potuit propria virtute, et naturali clarificare ipsum corpus claritate illa, qua redderetur impassibile, atque adeo claritas illa, quæ fuit in corpore Christi in transfiguratione proveniebat miraculose ab anima Christi ut ab instrumento, et consequenter non propria virtute, sed divini Verbi illam operabatur anima. De hoc videatur D. Thomas infra quæstione XLV, articulo II.

X. Tertio arguitur: Quia Christus in nativitate sua exivit clauso utero suæ beatissimæ matris, et quando Judæi voluerunt illum lapidare, fecit se invisibilem; aliquando etiam super aquas ambulaverit; ergo habuit omnipotentiam respectu proprii corporis.

XI. Nec sufficit dicere, quod omnia ista facta sunt miraculose, atque adeo non virtute animæ Christi, sed virtute Dei, qui est causa principalis miraculorum, contra, quia sine miraculo corpus Christi Domini exivit de sepulcro adhuc clauso tumulo magno lapide; et sine miraculo ingressus fuit ad discipulos suos ja-

nus clausis; ergo etiam sine miraculo fecit illa, quæ annumerata sunt in argumento.

XII. Respondetur, quod illa quæ annumerantur in argumento fuerunt opera miraculosa facta solum instrumentaliter ab anima Christi, et principaliter a divino Verbo. Ad replicam autem dicitur, quod post resurrectionem collata est animæ Christi virtus ad immutandum suum proprium corpus, quam antea Deo sic disponente, et ordinante non habebat, eo quod sic expediebat ad nostram reparationem. Quare exire de sepulcro adhuc clauso tumulo, aut ingredi januis clausis ad discipulos, non fuerunt opera miraculosa, sed debita jam connaturali modo animæ, et corpori glorioso. Nec mirum est, quod post resurrectionem anima Christi hanc potestatem haberet, quia quamvis in radice illam habuit a principio propter suam beatitudinem, formaliter tamen talem potestatem non habuit ante resurrectionem. Sicut si daretur homo a quo separata esset risibilitas, eo ipso quod esset homo haberet radicaliter talem risibilitatem, non autem formaliter: similiter in nostro casu.

XIII. Ultimo arguitur: Quia per miraculum ex divina dispositione factum fuit, quod anima Christi, quæ beata fuit a primo instanti suæ creationis, non communicaret gloriam suam corpori reddendo illud impossibile, et immortale, ut dicit D. Thomas infra quæstione XLV, articulo II: ergo anima ipsa de se talem habebat virtutem. Patet consequentia, quia quamvis ignis per miraculum non comburat corpus approximatum, non tollitur ab illo virtus ad comburendum, sed impeditur ejus actus, ut patuit in igne fornacis Babylonis, qui tres pueros non combussit, ministros tamen regis accedentes ad fornacem exurebat; ergo quamvis anima Christi de facto non

glorificaverit ab initio proprium corpus, ut pro nobis in illo posset pati mortem, non est dicendum, quod illi defuit talis virtus, sed quod impedita fuit a Deo.

XIV. Si dices animam Christi posse quidem communicare naturaliter gloriam corpori impassibili, non tamen quando corpus erat passibile, contra hoc est, quia solum sequitur ex hoc, quod corpus secundum se non erat aptum ad recipiendam talem claritatem quando erat passibile, non tamen quod anima Christi non haberet potestatem secundum sibi propria, et quantum erat ex parte sui ad communicandum eandem gloriam.

XV. Confirmatur, quia anima Christi post resurrectionem habuit virtutem communicandi naturaliter gloriam, et claritatem suam corpori; ergo similiter ante resurrectionem. Probatur consequentia, quia eadem potestas mansit in anima Christi post resurrectionem.

XVI. Respondetur, quod in Christo ante resurrectionem non solum impedita fuit virtus ne posset suum corpus immutare, sed potius ut verbis utamur D. Thomæ talem virtutem non assumpsit, eo quod debebat per omnia fratribus assimilari. Ad improbationem autem hujus dicimus non esse eandem rationem de igne impedito ne comburat, quia ignis impeditus retinebat non solum radicaliter, sed etiam formaliter suam virtutem comburendi; imo de facto comburebat ministros regis sed solum impedita fuit executio illius virtutis circa tres pueros: anima vero Christi (licet per miraculum) talem virtutem non habebat. Unde solutio inter arguendum posita in hoc sensu intellecta verum habet.

XVII. Ad cujus replicam dico, quod non solum anima Christi non immutabat corpus suum a princi-

pio, ex eo quod corpus passibile remanens passibile non erat capax recipiendi claritatem gloriæ, quam habent corpora gloriosa, sed quia ipsa anima pro illo statu non habebat formaliter potestatem ad talem immutationem, sed solum radicaliter.

XVIII. Ad confirmationem respondetur negando consequentiam. Et ad probationem dico, quod si loquamur de potestate radicali animæ ad glorificandum corpus, eadem fuit semper in anima Christi, et post resurrectionem, et antea eo solum, quod anima beata erat; cæterum si loquamur de potestate formali, illam habuit post resurrectionem, non vero antea. Nec ex hoc debet colligi, quod anima Christi esset minoris virtutis ad glorificandum suum corpus, quam aliæ animæ, si quidem ipsæ eo ipso quo reunirentur corporibus illa clarificant, quod non reperitur in anima Christi, quia ne id fieret a principio impeditum fuit per miraculum, quo miraculo supposito, videlicet, quod corpus passibile deberet manere in Christo, non fuit in ejus anima potestas formalis ad illud clarificandum, nisi miraculose, ut in transfiguratione.

#### ARTICULUS VI.

*Utrum omnis voluntas humana Christi semper fuerit adimpleta?*

I. Pro intelligentia tituli (ut statim certa ab incertis separemus) supponendum est duplicem esse actum voluntatis humanæ in Christo, et absolutum, et conditionatum; et quidem quod conditionatus non fuerit semper impletus, certissimum esse constat ex illo Matthæi xxvi: *Pater, si possibile est transeat a me calix*

*iste*, qui revera non transivit. Et hoc quidem non est mirum, si quidem nec voluntas antecedens ipsius Dei semper impletur, vult enim illa voluntate omnes homines salvos fieri, et tamen multi sunt qui damnantur. Tota ergo difficultas est de voluntate absoluta humanitatis Christi Domini, an semper fuerit adimpleta, de quo non est parva controversia inter theologos.

II. Pro resolutione dubii notandum est primo, quod voluntas absoluta, et efficax humana Christi Domini (de qua est difficultas præsens) potest dupliciter considerari. Primo modo, ita ut sit absolute, et simpliciter, hoc est, omnibus modis efficax, et tunc est quando volebat objectum cum omnibus mediis, et circumstantiis necessariis ad consecutionem illius, sive illa media apponenda essent solum ex parte sua, scilicet voluntatis humanæ, sive apponenda essent ex potestate, et voluntate aliorum. Eadem etiam voluntas potest vocari efficax altero modo, videlicet non simpliciter, et absolute, et omnibus modis, sed tantum in aliquo determinato genere, quando scilicet voluntas humana Christi volebat aliquod objectum, aut finem, et similiter volebat omnia media quæ ipsa voluntas præstare poterat; non tamen volebat omnia media necessaria ad consecutionem talis finis, quando illa media erant in voluntate, et potestate aliorum, quorum voluntas non subdebatur humanæ voluntati Christi, atque adeo non simpliciter, et omnibus modis intendebat finem illum, sed tantum quantum erat ex parte sua.

III. Secundo, notanda est differentia inter voluntatem humanam Christi, et divinam, quod scilicet voluntas divina efficax absolute, et omnibus modis semper est efficax, et sic non est capax distinctionis a

nobis positæ de voluntate efficaci humana Christi. Ratio hujus manifesta est, quod scilicet, cum voluntas divina sit primum movens respectu omnium voluntatum creaturarum, quæ in omnibus divinæ subduntur, ideo totum quod voluntas divina efficaciter vult, semper adimpletur, quia in ejus potestate est ponere omnia media necessaria ad impletionem talis voluntatis, et ad consecutionem cujuscumque finis. Voluntas autem humana Christi, cum finitæ, et limitatæ virtutis sit, et cui omnes aliæ voluntates non sunt subditæ, aliquid potest aliquando velle ex parte sua apponendo omnia media, quæ sunt in potestate ejus, et tamen effectus non eveniet, quia dependet ex voluntate libera aliorum, quæ non subditur voluntati humanæ Christi.

IV. Prima conclusio: Omnis voluntas humana Christi absoluta, et efficax in his, quæ ab ipsa sola voluntate dependebant semper impleta fuit. Hæc conclusio est ita certa ut a nemine theologorum negetur: est expressa D. Thomæ in hoc articulo, et probatur clare ex verbis D. Augustini adductis in argumento. Sed contra, quæ illam efficaciter probant, et similiter ratio brevissima adducta in corpore articuli. Insuper enim (quæ longe abest a Christo Domino) tribuendum esset ut aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subjaceret; si ergo Christus per seipsum volebat aliquid fieri cognoscebat id esse in ejus potestate, et consequenter ejus voluntas in similibus semper adimplebatur. Si vero cognoscebat a se ipso fieri non posse, nec esse in ejus potestate humana, absolute illud non vellet a se fieri, atque adeo talis voluntas absoluta in rebus, quæ per ipsum debebant fieri, semper adimpleta fuit.

V. Secunda conclusio: Voluntas

Christi humana, quæ absolute, et omnibus modis erat efficax, juxta dicta a nobis notabili primo, semper adimpleta fuit. Hæc conclusio etiam est certissima. Et probatur ratione, quia quando voluntas Christi humana omnibus modis determinabatur ad aliquem effectum, jam habebat notitiam de omnibus mediis ad illum effectum, et finem necessariis, et quibus modis applicanda erant tam a se, quam ab aliis; ergo semper quod omnibus modis applicabat efficaciter suam voluntatem effectus infallibiliter sequebatur; alias imprudentiæ etiam tribui posset, ut sic omnibus modis efficaciter se determinaret voluntas humana, si omnia necessaria tam a se, quam ab aliis ponenda non essent prævia, et certa.

VI. Tertia conclusio: Voluntas illa Christi humana efficax secundum quid (de qua diximus in illo notabili) circa ea, quæ erant in aliorum potestate non semper impleta fuit. Hæc est D. Thomæ in solutione ad primum, solutione secunda, et illam tenet Cajetanus in præsentibus, et Cabrera hic, et multi ex modernis doctissimis, et probatur; tum, quia voluntates aliorum non erant subjætæ voluntati humanæ Christi, nec media, quæ ab aliis poni deberent ad effectum; ergo in aliquo casu hujus generis voluntas absoluta humana Christi non adimpleta fuit, tum etiam aliquibus argumentis, quæ sine dubio magnum robur habent. Primo, probatur ex primo argumento D. Thomæ, et ex solutione ejus secunda, in qua hoc expresse docere videtur. Postquam enim posuerat argumentum ex illo Marci vii: *Ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere*, respondet D. Thomas sic: « Vel potest dici, quod hæc voluntas Christi non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per